

1308 ces multi precii, Regulorum ac Principum jussu miserabili modo fuerint direptæ, eadem circa maritima Calabriae Picensique agri loca accepta injuria. Cæterum ubique amissis rebus, Veneti male habiti dicuntur: quidam etiam ex eis necati: quo accidit, ut ab omni externo commercio per id tempus abstinerent. Pontificius interea Legatus, ingentibus copiis contractis, acceptoque valido a Florentinis equitatu, adversus Venetos & Friscum Ferrariam duxit. Cives ad primam propinquantis exercitus famam a Veneto deficiunt: mox copias portis admotas in urbem inducunt; ingens in utrosque edita cædes, sed aliquanto major in Venetos, qui ab hostium multitudine pulsi, intra Thealdi munitiones se trepide receperunt. Ad eum locum oppugnandum, recepta urbe, continuo a Legato proponitur signum. Veneti, etsi jam antea ad Pontificem miserant legatos, qui cum eo agerent de Ferrariæ restitutione, quia res tam cito ob locorum distantiam transigi non potuit, ne aliquam majorem cladem acciperent, arce quam adhuc præsidio tenebant, ultro cesserunt.

1310

*Atrorū
conjuratio
libertatem
Venetam
non parum
concurrit.*

Consternatam his malis civitatem atrox conjuratio est adorta, quæ parum abfuit, quin libertatem ipsam cum toto imperio everterit. Bajamons Tepulus, homo nobili familia natus, sed animo in patriam inimico, & non minus fortassis, quam Catilina olim fuit, suæ civitati infesto, fretus, credo, ea temporum novitate, qua Rempublicam multis malis concussam videbat, cum non paucis patricii sanguinis eminentiorisque fortunæ viris, quos ipse sui furoris participes fecerat, in patriam conjuravit. Ferunt inter eos convenisse, ut cum amicorum & clientum manu, statuta ad id facinus die, in curiam prorumperent, ac momento temporis, Duce cum Patribus trucidato, Rempublicam invaderent, rebusque imperii inter se divisis, apertam exercerent tyrannidem. Accessit ad id malum, quod ex reliqua multitudine quam plurimi, partim pollicitationibus, partim novarum rerum studio, conjuratorum ædes frequentabant: quibus haud quidem existimo rem tantam ab initio creditam, sed aliud longe diversum parari ostendebatur. Ubi vero dies, quo gerenda res erat, affuit, ferunt (quasi aer tanti sceleris civitatem admo-